



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rerum
Christianarum Memoria, Libri X**

Haimo <Halberstadensis>

Helmestadi[i], 1671

Cap. XIV. De discipulis Christi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10968

los. Omne autem tempus prædicationis suæ peregrinavit intra quadriennii temporis spatium, sub *Anna* & *Cajapha* pontificibus, ita ut *Annæ* pontificatus tempore incipiente prædicare inceperit, & usque ad initium *Cajaphæ* protenderit. *Iosephus*. Nam ab *Anna* usque ad *Cajapham* quatuor pontifices per ordinem fuerunt. Post *Annam* sedit *Ismaël*, post *Ismaëlem* *Eleazar*, post *Eleazar* *Simon*, post *Simonem* *Iosephus*, cui & *Caiaphas* nomen fuit. Testatur autem *Hebræorum* scriptor de *Domino Iesu Christo*, quis fuerit; de quo his verbis scripsit ita,

C A P. XIII.

Testimonium Iosephi de Christo.

Fuit autem iisdem temporibus *Iesus*, vir sapiens, si tamen virum eum nominare fas est. Erat enim mirabilium operum effector, doctorque hominum eorum, qui libenter quæ vera sunt audiunt. Et multos quidem *Iudeorum*, multos etiam ex gentibus, sibi adiunxit. *Christus* hic erat. Hunc accusatione primorum gentis nostræ virorum, cum *Pilatus* agendum in crucem decrevisset, non deseruerunt, qui ab initio eum dilexerant. Apparuit enim tertia die vivus, secundum quod divinitus inspirati *Prophætæ*, vel hæc, vel alia, invicem miraculo futura esse prædixerant. Sed & in hodiernum diem *Christianorum* nomen perseverat & genus.

C A P. XIV.

De discipulis Christi.

Apostolorum nomina ex *Evangeliis* manifesta sunt.

Septua-

ECCLESIAE LIB. I.

Septuaginta verò nusquam se ripta esse reperimus. Dicitur tamen ex ipsis unus fuisse *Barnabas*, *Clemens* verò in III. Dispositionum Lib. *Cepha* mentionem facit; de quo *Paulus* dicit: *Cum autem venisset Cephas Antiochiam, ei restiti in faciem.* Et dicit unum esse ex LXX. cognomine *Petri* Apostoli. Sed & *Matthiam* unum ex his fuisse dicit, & qui cum ipso staturus est ad sortem. De his etiam fuisse *Tatthæum*, & alios fuisse quamplures discipulos invenies, si observes ea, quæ *Paulus* indicat, dicens, post resurrectionem quidem Dominum apparuisse *Cepha*, postea aliis undecim, & post hos amplius quam quingentis fratribus simul.

H A Y M O.

Cum his itaque conversatur dominus, per omne tempus assumptæ mortalitatis: & instituit in fide, & instruit scientia: donec, peracto susceptæ dispensationis officio, patitur, & resurgit, & ascendit in cœlum, secundum Evangeliorum fidem.



D.HAY.